Najmanowicz Christophori Univ. Rectoris: Observationes contra habitantes extra domicilia Universitatis et contra non intitulatos ingerentes se numero studiosorum.

M. CHRISTOPHORVS NAYMANOWICZ,
MEDICINÆ DOCTOR, & ORDINARIVS PROFESSOR, STVDII VNIVERSITATIS CRACOVIEN: GENERALIS RECTOR.

Maiores nostri Viri Clarissimi, prima origine Vniuersitatis in id max. incubuerũt, vt Vniuersitatem & Academiam nostram in se vnitam, cõnexam, & quasi vnius cordis animam, efficerent & cõseruarẽt. Proinde cum diuersis modis sanxissent, vinculum æternũ inter Professores tanquã maiores natu filios Acad. & inter Studiosos, tãquam minores; tum verò id præcipue cauebãt, ne studiosa iuuẽtus, quæ habet magno etiam nostro sumptu cõparata pro se domicilia, in quibus, moribus Academicis viuat & instruatur, per Ciuitatis domos promiscuè diuagetur. Et ne, cũ inscripti & intitulati õnes esse debeant Vniuersitati: extranei, vagi, discoli, in corpus nostrũ admittantur, quo nulla certior nobis ruina. Cuius quidẽ præcautionis manifesta documẽta habemus: quoad Studiosos vagos, in antiquis tabulis obseruationũ Academiæ nostræ quibus conquiri iubentur eiusmodi inhabitãtes hospitia Ciuium, sine voluntate Rectoris: quoad nõ intitulatos, elegans Mandatũ, cuius tenor talis: *Vniuersitatis RECTOR, mandat omnibus Magistris, Doctoribus, Baccalaureis, Studiosis, cæterisq; suppositis Vniuersitatis eiusdem; Quatenus non legant nec disputent; neq; aliquos Actus Scholasticos coram non intitulatis siue Matriculæ Vniuersitatis non inscriptis exerceant, ipsosq; ad seruitorum requisitionem de Lectorijs recedere faciant, ne Studentes veri, in suis Lectionibus ac exercitijs impediãtur, aut per tales nõ intitulatos, aliquæ insolentiæ & disturbia Vniuersitati generentur, sub pœna obedientiæ, & præstiti iuramenti. Datum Rectoratus sub Sigillo In Rectoratu Serenissimi Principis Dñi D. Alexandri Dei G. Ducis Masouiæ, Præpositi Gnesneñ. Anno 1422. & ante Illustriss. Principis & Venerabilis Domini D. Ioan. Ducis Drogicineñ Custod. Crac. Can. Sand. M. Ioannis Szafraniec, M. Thomæ de Strzampino Decretorũ Doctoris, 1432. Venerab. viri D. Sandiuogij de Thanczyn, Profess. in Decretis Can. Crac. Anno 1460. M. Benedicti Hesse, M. Nicolai Bylina S. Th. Profess. Canonicorũ Crac. 1450. In Rectoratu quoq; Ioan. de Latossyn 1463. Clementis de Gorka 1472. in Decret. Doctorũ Can. Crac. Item Ioan. Kro. An. 1419. Petri Gassowiecz 1464. Andreæ Grzymala 1465. Matthiæ de Miechow 1501, Medicinæ Doctorum, & aliorum.* Proinde nos cõsiderantes, nõ tantùm antiquitatis illius sanctam & laudabilẽ reuerentiam, sed etiam quòd Patrum nostrorum sancita, nostris tẽporibus accõmodari videãtur, præceptaq; nobis, quibus Academiam saluam facere possumus, à prudenti illa & sancta antiquitate dentur: Prædictas obseruationes, cõtra habitãtes extra domicilia Vniuersitatis, & contra non intitulatos, ingerẽtes se numero Studiosorũ nostrorũ, & specie filiorum in panem Academicũ, tanquã canes inuolantes, innouãdas duximus, prout innouamus præsenti edicto nostro: præcipimusq; omnibus Magistris, Bacc. Præceptoribus, qui in Collegijs Vniuersitatis nostræ profitẽtur, alijsq; adeo omnibus subiectis nostræ Vniuersitatis, ne cum quoquam, qui se Studiosum nominet, nec in Collegio, in Contubernio, Schola Academiæ, vel hospitio cum licentia nostra inhabitet, quicquã cõmercij, cõuersationis habeant, eosque quouis titulo manu teneãt, seruent, tractẽt, illorũue consortio vtãtur. Pariter quoq; quod attinet nõ intitulatos, vt eos omni similiter sua cõuersatione arceãt, prohibeãt. Et si cõtigerit tales siue ad publicas Collegiorũ, siue ad priuatas Classiũ lectiones venire, & se se immiscere veris & inscriptis, intitulatis Studiosis, vt eos Primũ moneant, Secundo iubeãt & cogant exire, tanquã alienos. Tertio inuocẽt auxiliũ Officij nostri. Bedellorũ nostrorũ, & Studiosorũ, vt eiusmodi vi expellantur & eijciãtur. Idq; faciant sub pœna Rectorali Statutis descripta: & in subsidiũ, alienationis ascẽsuum, Graduum, Promotionũ Vniuersitatis nostræ. Minores pœna proscriptionis, & ea qua non intitulati afficiendi essent, vtpotè non filij, sed proditores & insidiatores Vniuersitatis. Dat. in ædibus nostræ residentiæ, Die XXIII. Iulij. Anno Domini, M.DC.XXXIII.

Sub Sigillo Officij Rectoratus.

[illegible]